

Franckesche Stiftungen zu Halle

Disputatio Secvnda Eaqve Periodica Sacra Scriptvra

Dieterich, Martin

Francofvrti Ad Viadrvm, [1745?]

VD18 13450646

Cap. I. De rationibus, quibus ostenditur, verbum Divinum criteriis boni libri, atque in excellentiore quidem gradu, gaudere, speciatim de veritate eius.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201487)



DISPUTATIONIS II. DE SACRA SCRIPTURA

CAP. I.

De rationibus, quibus ostenditur, verbum Divinum
criteriis boni libri, atque in excellentiore quidem
gradu, gaudere, *speciatim de veritate ejus.*

§. I.

Exposuimus pro eo, ac argumenti nostri can-
celli patiuntur, quos libros divinitus inspi-
ratos, qualemque *θεοπνευσία* agnoscamus. Se-
quitur, ut evincamus, quibus rationibus du-
cti tantum illis pretium statuamus, eorum-
que testimonio in doctrina fidei et morum
citra omnem haesitationem nitamur. Ea ipsa vero argumenta,
quae ad stabiliendam divinam auctoritatem adhibemus, non
unius generis esse apparet. Cum enim complura adsint, quae
fidem humanam pariunt, non deest modus, *fidem* quoque *divi-*
nam et immotam producendi. Generatim quidem id, vel ipsa
A ratione

*Resp. Henrico
Koch, Fran-
cof. March.*



ratione iudice, concedendum est, scripturam, si quam Deus praeter naturale lumen hominibus ad salutem instruendis exhibuerit, ita comparatam esse oportere, ut primo loco iis *criteriis, atque in excellentiore quidem gradu, quae ab unoquoque bonae notae scriptore postulantur*, gaudeat, nempe *veritate, harmonia, honestate, aptoque dicendi genere*, deinceps ut *id contineat, cuius gratia consignata perhibetur*. Cui bono enim foret divinus afflatus in iis rebus, quae ex solo ordinario rationis usu et ex libris mere humanis addisci possunt. Atque his praestitis ad ea progrediemur *argumenta, quae summa probabilitate*, ita ut ad solidissimam fere demonstrationem accedant, *de divina inspiratione horum librorum nos docent*. Et postremo genuinum *fidei divinae fundamentum* luculenter ob oculos ponetur.

§. II. Ut igitur a *veritate* initium faciamus, sacra scriptura partim facta, partim dogmata comprehendit. Si respiciamus *facta*: ea aut solo scriptorum domesticorum testimonio, aut extraneorum quoque consensu confirmantur. Et si vel maxime inter scriptores sacros et profanos dissensus aliquis de rebus Judaeorum et Christianorum intercedat, aequitas utique naturalis necessitatem nobis imponit, scriptoribus domesticis de rebus sibi cognitis et perspectis scribentibus, fidem potius habendi, quam extraneis, de rebus parum sibi exploratis verba facientibus, aperte etiam falsa subinde tradentibus. Helleboro opus est illis, qui sibi persuadent, commenta, non veras historias in verbo divino inveniri. Si enim ita se haberent, necesse foret, libros illos vel illo ipso tempore, quo res gestae memorantur, vel post longum temporis intervalum e tenebris in lucem prosluissse. Si prius assumitur, fieri non potuit, ut omnes et singuli tum viventes excogitatis commentis subscriberent. Si posterius placet, quis persuadebit sibi,



sibi, integris gentibus ea probata esse, de quibus nihil in annalibus suis legissent, nihil a majoribus suis per traditionem acceperissent. Atque adeo vel ob hanc causam majori animi firmitate asseverare possumus, historiam Christi et epistolas N. T. ab Evangelistis et Apostolis scriptas esse, quam novimus, Caesarem, Livium aliosque eorum librorum auctores esse, quorum nomen prae se ferunt, quia reliqui orbis populi, a sacris Christianorum alieni, historiae biblicae atque ipsi doctrinae vel imprudentes testimonium perhibuerunt. Contumaces Judaei non negant, Jesum vixisse et miracula patrasse, in eo tantum peccantes, quod stupenda ejus miracula erroris caligine occaecati Cacodaemonis operationi tribuant. Convinci sane possunt ex sacra scriptura V. T. cujus divinam originem admittunt, Messiam promissum venisse, eumque esse Jesum Nazarenum, unde salus nostra pendeat. Turcae licet verum scripturae sensum amiserint, codicem tamen ipsum V. et N. T. coelitus ad nos delatum esse, in Corano suo fatentur, Mosenque et Jesum Christum Prophetas omni exceptione majores, inferiores tamen Muhammede, viam Dei docuisse, eamque prodigiis maximis confirmasse.

§. III. Variant quidem, et nonnihil a veritate historiae sacrae recedunt profani scriptores in aliquibus momentis, et Diabolus immiscuit fabulas, ut veritati tenebras offunderet, Deique populum invisum redderet gentibus superstitiosis. Interim ad institutum nostrum non parum faciunt illorum testimonia, propterea quod manifeste inde apparet, eam fuisse religionis Israeliticae celebritatem, ut literis sermonibusque exterarum etiam gentium expressa reperiatur. Atque hoc loco operae pretium erit, exempli gratia nonnulla afferre. Cicero in oratione, quam pro Flacco habuit, §. 67. Judaeorum



rum cultum *superstitionem barbaram* vocat. *Judaicum ediscunt et servant et metuunt jus, tradidit arcano quodcumque volumine Moses canit* Juvenalis Satyra XIV. Cornelius Tacitus Cap. III. lib. V. *meminit Moses, atque idem lib. XV. annalium scribit: auctor nominis ejus (Christiani) Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Justinus, qui ex Trogo Pompejo, ut ipse refert, breve florum corpusculum fecit, *Abrahami, Israelis et Josephi mentionem facit, Moses, Judae item et Sabbathi* Lib. XXXVI. Cap. II. Strabo lib. XVI. *de circumcisione, Jordane, Sodoma et Gomorrha, Asphaltite, mari erythraeo seu rubro permulta inseruit.* Plinius Secundus in epistola quadam ad Trajanum scripta refert, *qua ratione in affligendis Christianis se gerat, quamque vitae integritatem illi servant.* Aelius Lampridius in vita Alexandri Severi Caesaris memorat, *eum in larario suo Christum, Abrahamum, Orpheum et hujusmodi Deos habuisse.* Conf. *Musei Richteriani Dactylothecam, a Clarissimo Jo. Friderico Christio editam, in qua imago Christi Servatoris, cui fulmen in dextra quasi Jovi datum est, primum locum obtinet.* Admiranda illa *eclipsis solis, quae moriente Christo contigit, in annalibus Romanis consignata fuit.* In *Tertulliani apologetico adversus gentes* Cap. XXI. sequentia leguntur: *eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo praedicatum non scierunt.* Et tamen eum mundi casum relatum in archivis vestris habetis. Praetermittimus scripta vetustiora, in quorum fragmentis de Mose et rebus gestis Israelitarum testimonia occurrunt e. g. *Manethonis, qui tempore Ptolemaei Philadelphi vixit, Philochori, Artapani, Alexandri Polybistoris et sic porro.* Evolvatur *Celeberrimi Hollmanni überzeugender Vortrag von Gott und der H. Schrift* p. 371. Neque inutiliter hic adhiberi poterit *Andrae Frankenbergeri liber de dignitate historiae propheticae.*

§. IV.

§. IV. Verum non de nihilo erit, aliquanto diligentius factorum biblicorum veritatem investigare. Quandoquidem extra omnem dubitationis aleam positum est, Constantini Magni aetate libros N. T. pro certis et genuinis Evangelistarum et Apostolorum scriptis in orbe Christiano habitos esse: non temere concludimus, concilio Nicaeno complures interfuisse Patres, qui quadraginta vel quinquaginta annorum spatium memoria comprehenderunt. Interea autem viderunt, legerunt, audiverunt Apostolorum scripta in publicis coetibus et plurimis ecclesiis. Inspexerunt libros Patrum, qui codicem sacrum agnoverunt, atque ad eum provocarunt. Et quamvis illa ipsa Patrum monumenta magnam partem injuria temporum interierint: non pauca tamen, quod providentiae divinae acceptum referendum est, hodieque exstant, verbi gratia Ignatius, Irenaeus, Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus alique. Ut tacitus praeteream, antistitibus sacrorum Nicaeae congregatis multo ante complures Christianos aequae ac Ethnicos innotuisse, qui res gestas quinquaginta annorum recordari, et de voluminibus illis sacris testimonium perhibere potuerunt. Atque ita Antonini Pii tempora attingimus, circa quae Polycarpus Martyr floruit, a Johanne Evangelista educatus atque institutus, neque minus in aliorum Apostolorum familiaritate versatus. Quid? quod per longam annorum seriem Virorum *ῥητορῶν* autographa apparuerunt. Annon Tertullianus, qui seculo circiter et sexaginta annis post resurrectionem Christi elapsis inclaruit, libro de praeser. Cap. XXXVI. confidentissime adversarios advocat ad inspicienda autographa. Et Petrus Episcopus Alexandrinus seculo quarto post Christum natum attestatus est, eo ipso tempore Evangelium Johannis, ipsius manu scriptum, in Ecclesia Ephesina asservatum esse. Chron.

Alex. p. 524. edit. Monach. Neque illud mirum nobis videri debet, quia libri in membranis exarati diutius quam in charta consignati durant, prout Celsus, Porphyrius, Hierocles, Julianus Apostata alique jurati Christiani nominis hostes ea de re dubium nunquam moverunt. Objiciunt quidem, nonnullorum hagiographorum originem divinam ipsis Christianis suspectam fuisse. Verum paucos tantum de paucis ad tempus haesitasse, et detecta avthentia veritatem triumphasse respondimus §. 3. Cap. I. Disp. I. Si qui forte id sibi sumserunt, ut sacras literas interpolarent, quod Ebionitis in Evangelio Matthaei, Marcionitis in Evangelio Lucae et Epistolis Paulinis tribuitur: non destituta fuit Ecclesia cordatis Doctoribus, qui falsarios istos detecta fraude pudore afficerent. Si adulterata essent haec scripta hominum versutia: notabilis et insignis differentia, qualem non reperimus, deprehenderetur. Fieri potest, ut libri nauci, vel ad paucissimorum tantum usum pertinentes subjiciantur. At at librum, qui aeternam salutem prae se fert, quique statim ac in vulgus editus est, accuratissime examinatur, in dubium vocare, majoris momenti est. Ignatius, qui nondum finito seculo post gloriosissimam Christi resurrectionem martyrii coronam adeptus est, ita scribit: fides illis facta erat, haec scripta ab Apostolis es Evangelistis proficisci: verum subortis controversiis archiva inspicere avebant, et Apostolorum avtographis convinci. Epist. ad Philad. §. 8. Conf. **Gottfried Olearii**, quo excellentissimo Doctore per quadriennium me usum esse laetus recordor, **Jesus der wahre Messias ein köstlicher Edelstein** p. 491.

§. V. Si mentis oculos ad dogmata dirigimus, ea sunt vel *fidei*, vel *morum*. Quod pertinet ad priorem classem, illa ipsa, quae de Deo ejusque perfectionibus, providentia et cultu aliisque

aliisque capitibus in sacro codice traduntur, ita sunt comparata, ut non solum rectae rationi per omnia conveniant, verum etiam multo plenius proponantur, quam pro corrupto hoc naturae statu per rationem sibi relictam cognosci queant. Et quia praeterea verbum divinum doctrinas exhibet, sphaeram nostram transcendentem, quae singulari nomine mysteria dicuntur, cogitandum est, ab ignorantia nostra ad rei negationem concludi non posse, atque illa eatenus in suspenso relinqui oportere, donec ex aliis fontibus, deinceps indicandis, veritas ostendatur. Jam ut *agenda* etiam contemplemur, ea evidentibus et generalibus naturae principiis non contrariari fatendum est, circa quae etiam saniores Philosophi non ita multa monuerunt, magis circa fidei dogmata haerentes. Evolvatur modo Marcus Aurelius Antoninus in libro de se ipso, et vulgo admirandus consensus deprehendetur. Atque adeo Julianus Apostata consilium dedisse fertur, ut gentiles vitae christianae regulas imitarentur, ea enim ratione futurum esse, ut religio ethnica facilius incrementa capiat et stabiliatur. Et viri in rebus antiquis versati observarunt, a philosophis superstitionum gentium complura ex sacra scriptura decerpta et furtim ablata esse, ut alienis plumis superbirent.

§. VI. Nec vero exiguum momentum ad adstruendam sacrorum voluminum ἀξιοπιστίαν affert ipsorum hominum, qui verbum divinum literis consignarunt, cum *notitia rerum tradendarum, tum studium veritatis sincerum*. Partim enim recensent historias rerum a se vel suo tempore, et quibus ipsi interfuerunt, vel etiam anterioribus temporibus gestarum, omnium autem, quas recensent, sese gnaros fuisse ipso opere ostendunt, partim dogmata e lumine naturae cognoscenda sic proponunt, ut illorum cognitionem, qua alios superant, in ipsis mireris,

siguif